AUGUSTINUS

Italien, Wende 11./12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1547
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

nuntiantur et indiciis consonis contestantibusque firmantur. Postremo nescimus in quibus locis vel ex quibus hominibus fuerimus exorti. Quia haec omnia testimoniis credidimus aliorum. quasi absurdissimum est dicere non solum nostrorum verum et aliorum corporum sensus plurimum addidisse nostrae scientiae confitendum est. Haec igitur omnia et quae per seipsum. et quae per sensum sui corporis. et quae testimoniis aliorum percepta scit animus humanus. thesauro memoriae condita tenet. ex quibus gignitur verbum verum quando quod scimus loquimur. Sed verbum ante omnem sonum. ante omnem cogitationem soni. Tunc enim est verbum simillimum rei notae de qua gignitur et imago eius. Quoniam de visione scientiae visio cogitationis exoritur. quod est verbum linguae nullius verbum verum de re vera. Nichil de suo habens. sed totum de illa scientia de qua nascitur. Nec interest quando id didicerit qui quod scit loquitur. Aliquando enim statim ut discit hoc dicit. Dum tamen verbum sit verum. id est de notis rebus exortum.

De similitudine et equalitate dei patris et unigeniti eius dei consubstantialis et coaeterni.

Sed numquid deus pater de quo natum est verbum deus de deo. Numquid ergo deus pater in ea sapientia quod est sibi alia didicit per sensum corporis sui. alia per seipsum. Quis hoc dicat qui non animal rationale. sed super animam dñi cogitat. dm cogitat quantum ab eis cogitari potest. qui eum omnibus animalibus et omnibus animis preferunt. Quamvis per speculum et in enigmate coniciendo videant nondum faciem ad faciem sicuti est. Numquid deus pater ea ipsa quae non per corpus quod ei nullum est. sed per seipsum scit aliunde ab aliquo didicit aut nuntiis vel testibus